



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Carolvs Borromævs Miseratione diuina sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli  
sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, archiepiscopus Mediolani, prouinciæ  
nostræ fidelibus salutem in Domino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15522**

sunt, prouincialium episcoporum literis postulabitur, id huius Synodi nomine & auctoritate ita factum intelligatur, perinde ac si in sessione publice postulatum esset.

ANNO  
CHRISTI  
1565.

Omnia & singula, quæ in hac sacra Synodo decreta, actaque sunt, qua debemus obedientia ac reuerentia, auctoritati ac iudicio sanctæ Romanæ ecclesiæ, omnium ecclesiarum matris & magistræ, semper emendanda & corrigenda subiicimus. Laus Deo.

*CAROLVS BORROMÆVS MISERATIONE  
diuina sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Praxedis presbyter  
cardinalis, archiepiscopus Mediolani, prouinciæ nostræ fi-  
delibus salutem in Domino.*

**Q**VANTVM mihi onus imponeret archiepiscopalis officii ratio, cogendi prouincialem Synodum, quo die ex grauiissimo S. Tridentini Concilii decreto recognoui, mature vt id munus exequi possem vehementer elaborauit, quod & nostræ testantur literæ, quibus prouinciæ episcopos euocamus; & sciunt graues atque ornatu viri, qui nostris ea in re studiis & actionibus interfuerunt. Itaque cum primum mihi licuit, Mediolanum veni, quo prouincialibus episcopis conuocatis, cognitisque ab eisdem iis rebus, quæ in singulis ciuitatibus, ac diocesis correctionis aut moderationis indigerent, in Synodo de ipsorum episcoporum consilio atque consensu ea statuimus ac decreuimus, quæ perturbatam cleri ac reliquorum vitæ & officii disciplinam restituere, vacillantem confirmare, conseruatam propagare posse viderentur. Synodo dimissa cum a Pio I V. pontifice maximo Romam reuocarer, ne in ipso quidem itinere mihi quidquam maiori curæ fuit, quam vt ea decreta prouinciæ, vt spero salutaria, primo quoque tempore peruulgarem. Quam in cogitationem toto animo incumbentem me & ipsius Pii pontificis auunculi mei mox consecuta mors, & deinceps interregni & pontificiorum comitorum occupatio, non iam a studio illa in lucem proferendi, quod, & si grauioribus curis maxime distinebar, tamen dimittere non poteram; sed ab eorum editione retardauit: Sed bene, quod quemadmodum Deum assidue precatus sum, & vt ita fieret pro mea parte contendere, breui ipsius Dei

ANNO  
 CHRISTI  
 1565.

benignitate singulari. Pius V. pontifex maximus est re-  
 nuntiatus. qui pro summa sua cura ac sollicitudine religio-  
 nis salutisque animarum, mihi & facile concessit, vt reuise-  
 rem hoc tempore commissum fidei meæ gregem, & inflam-  
 matum studium meum edendi has constitutiones prouin-  
 ciæ nostræ fidelibus pia sane cohortatione magis etiam in-  
 cendit; & vt eæ ad illos etiam pertinerent, qui alioqui ipsis  
 non tenerentur, literis suis apostolicam interposuit aucto-  
 ritatem. Damus igitur vobis quæ ex præscripto Tridenti-  
 ni Concilii ad moderandos mores, corrigendos excessus  
 in prouinciali Synodo decreta sunt; eaque non solum  
 præsentium malorum remedia esse confidimus, sed cau-  
 tionem quoque fore speramus reliqui temporis vitiorum  
 & incommodorum. Rogamus vero omnes, & per viscera  
 misericordiæ Christi Domini obsecramus, vt has consti-  
 tutiones, quanto maximo potestis amore & pietate am-  
 plectamini, legatis, sequamini, totos vos ad earum sen-  
 tentiam, rationemque accommodetis. Imo vero, si quod  
 nostrum esse potest habito, & vbi primum facultas fuit,  
 edito hoc prouinciali Concilio, meritum id mihi, & piis  
 ipsis ac prudentibus patribus, quibus consentientibus &  
 adiuuantibus hæc acta sunt, præripite. tanto enim maior  
 commendatio est eorum qui colunt, quam qui tulerunt  
 leges; quanto est obedientia officii præceptione præstan-  
 tior. Ceteris vero etiam hominibus vestra, vel morum  
 mutatione vel innocentia, ac pietatis perseverantia præ-  
 lucete; vt isto exemplo ad virtutis & officii cultum reliquæ  
 etiam prouinciæ incitentur. Nobis enim & in his decretis  
 nihil propositum fuit, nisi Dei gloria & vestra salus; sic ni-  
 hil opratius esse potest, quam, vt ita decreta seruentur;  
 vt pœnis, quæ delinquentibus propositæ sunt, nullus lo-  
 cus relinquatur: magisque in agendo vestra religio ac pro-  
 bitas, qua vna vel maxima voluptate noster compensabi-  
 tur labor, quam nostra in decernendo diligentia com-  
 mendetur. Valete in Domino.